

les sola virtus efficit. In duabus eruditissimis regni tui Academiis sciscitando didici regis stipendiis honorari professores linguæ græcæ, hebraicæ: medicinæ, juris civilis, theologiæ. Regia sunt illa regni ornamenta. At mathematicis artibus præmium regale nullum esse constitutum. Maçti igitur estote professores regii, duobus mathematicis collegii regii collegis: alter mathematicis elementis Arithmetica & Musica, Geometria, eiq; adjunctas Geodæsiam, Opticam, Mechanicam: alter reliqua φυσικώτερον in astrologicis, & geographicis profiteatur. Hoc votum apud te & de te Elisabetha, eó sanctius concipio, quia Anglia doctissimos innumerabiles, sed é regibus etiam ipsi quosdam mathematicos habuit, Ethelstani nempe regis astrologicum opus in vestris annalibus comperio. Quid veró orationis tuæ in Academia Cantabrigiensi conspectis majorum tuorum magnificis gymnasiis, gemitus ille generosum Cæsaris animum veré referens (*At nihiltale feci*). Quid illa in doctissimo conventu eximii operis & ad perpetuam nominis tui memoriam monimenti promissio: nonne palam loquuntur & proclamant potius, Optate á regina singulare aliquod ingenuis literis ornamentum, cumulaté ac magnificé præstabit. Itaque opto regios reginæ Elisabethæ in Academia & Cantabrigiensi & Oxoniensi mathematicos professores, qui sempiterna præclarissimi beneficii laude memoriã tuam exornent. Toletani Elisabetham reginam astronomicis tabulis prædicant: imo veró Angli reginea in suis Academiis collegia perinde ut regia concelebrant, ut Anglorum reginæ cum regibus de gloria literarum certasse videantur. Angli igitur Elisabetham reginam regali mathematicarum professionum honore prædicabunt & celebrabunt. Neque dubito quin factum probet ac laudet Nestor ille tuus Guilielmus Cæcilius non solum quia Cantabrigiensis Academiae cancellarius est, sed quia patriæ amantissimus. Neque tu Dee aut tu Acontantum reginæ decus contemneris. Enimveró vicini Scotiæ reges insulæ communem gloriam facere contendunt. Maria regina est ingenio variis & naturæ & doctrinæ dotibus ornata: Ornatum veró sororis reginæ Jacobus Steuartus Moraviæ comes, si discipuli quōdam nostri insignis & probitas & prudentia mihi bene perspecta est, cum cæteris ornamentis, tum mathematicis hisce gemmis perlibenter augebit. Sed cohortationis hujus, Georgi Buccanane, partes tuæ sunt, ut in Academia præcipué Andreana ad professiones linguarum, latinæ, græcæ, hebraicæ, Philosophiæ, Medicinæ, Jurisprudentiæ, Theologiæ, adjungantur mathematicum professores duo, & liberalium artium quondam solæ, certé principes ac reginæ regium stipendium regiumq; honorem tua persuasione consequantur. Poeta es Europa tota clarissimus, cantatis præsertim suavissimo sono divini vatis carminibus: At mihi crede, jam carmē istius persuasionis carmine luculentius nullum abs te cantari potest. Bassantinus Scotus Francis Euclidem fruendum dedit, dabit & libentius Scotis. Sed matheseos amore digredior ab instituta historia longius, domum redeo. Plato mundum universum mathematicæ studio per deliacum illud duplicandi cubi problema incendit atque inflammavit. Philoponus scribit Platonicorum commentationes de cubi duplicatione periisse, quod in interprete Græcorum interpretum doctissimo & μαθηματικώτερον valde miratus sum. Extant enim apud Eutocium sententiæ duodecim summorum

rum